

109

107

113

103

118

098

158

058

208

008

Ende

Anfang

98

cumentum fidelibus intulit, quam umquam tyrannorum persecutio fecerit. Non enim patientur difficultates in exterioribus actibus virtutum, quia permissione divina diabolica virtute aguntur magis quam agunt in sui obdurationem et in fidelium Christi terrorem ac saevissimam tentationem. Ad hujus rei autem confirmationem inducit Machometus in Alcorano suo phantasticam et diabolicam revelationem. Dicit enim, se raptum fuisse in coelum quadam vice et ibi simul invenit Abraham, Moysem et Jesum filium Mariae; instructus autem ab eis, qualiter Sarrauenos docere deberet, obtulit ei Abraham vas plenum lacte, Moyses vas vini, Jesus vas aquae; cumque dubitaret, de quo vase bibere deberet, vox venit dicens: si vas lactis elegeris, submergeris; si autem vas vini acceperis, tu et omnis populus tuus peribit; si autem vas aquae a Jesu acceperis, in perpetuum ad Deum dirigeris et filios Jesu ad te trahes. Ex hac visione aut verius fictione dicunt Sarraueni Jesum magis fidelem quam Abraham aut Moysen, qui Machometem fallere volebant, quia, si cum uno eorum bibisset, periisset. Et ex hoc sunt nobis hodie magis humani, quam Judaeis.

Aliam fatuam historiam inducit in eodem, dicens: videns Deus multam hominum malitiam in terra misit duos angelos in terram ad faciendum justitiam et bonitatem in terra. Qui ingressi domum cuiusdam viduae juvenis apud eam hospitati sunt, vidua autem inter fercula suis hospitibus vinum obtulit eosque inebriavit. Quo facto negotium eis a Deo commissum neglexerunt et in contrarium sensum versi viduam ad commixtionem cum eis sollicitaverunt, promittentes ei dare, si consensum praeberet, quidquid peteret. Mulier ergo petivit eos, ut ostenderent sibi viam in coelum, quam Deus ibi videns et casum agnoscens maledixit vino et omnibus eo utentibus et duos illos angelos Machometo cernente ad pedes suspendit eosque durissime torsit, dicens, consimiliter poena mulctandos omnes vino utentes.

Secundo vinum prohibuit propter stultam promissionem. Scribit enim in Alcorano, sibi et omnibus a vino abstinentibus multa promissa in alia vita. Afferit enim quod ultima eorum beatitudo consistat in comedendo et bibendo, luxuriando, dominando etc., quae omnia promittuntur abstinentibus a vino.

Tertio ex praesumptione et superbia haec lex edita est. Audivit enim, quod lex Nazarenorum vini inhibitionem habuit; ideo omnes

